TRACTATVS DE ANGELIS.

EMPVLITANO PETRO Cioffio Authore.



RONCILIONI

Apud Dominicum de Dominicis.

Superiorum permiſſu. 1612.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATVS DE ANGELIS.

1 VIDETVR, quod non dentur ſubſtantiæ immateriales incorporeæ, Genus enim Creaturarum huiuſmodi neq; vllo ſenſu percipitur, neque per effectus vllos demonſtratur, neq; aliter quàm per imaginationem adſtruitur; ergo nullą etiam debent ratione concedi, cum his demptis vijs nulla

nulla omnino ad probandum via remaneat, nam dato quod factibiles eſſent creaturæ iſtæ, vt ex ſimilitudine patet rationalium animorum, niſi per aliquod ſignum, aut euidens argumentum appareat illas dari, temerè admodum admittentur; quod ſi confirmare velis eaſdem ex viſionibus, quaſi non poſſint quarundam rerum experimenta ſaluari, niſi ponatur etiam aliquid aliud in rebus ſuperans virtutem, atque conſilium hominis, ac proinde genus huiuſmodi ſubſtantiæ immaterialis incorporeæ; Reſpondetur, quod effectus iſti ſenſibiles vel referentur ad Deum immediatè, vel ſubſtantiæ illæ dicentur tàm materiam; quam corpus inuoluere, Ergo; Sed contra eſt, tùm quia per ſacras literas

ras

ras plenè probatur, carere illas corpore, ac materia, vnde Pſ. 104. Habetur, qui facit Angelos tuos ſpiritus, & Cap. Actuum Apoſtolorum octauo, Cap. item decimo, clarè doctrina iſta replicatur; tùm quia corpus, & materia ſi concedatur, nihil propterea videretur intendiſſe natura, immo & fruſtra potius poſuiſſe, cum nullus prorſus horum eſſet vſus futurus, & nulla prorſus vtilitas, quæ per ſenſus communiter percipi conſueuit, neque inuenies facilè, ſi finem iſtum amoueas, cuinam rei corpus, & materia huiuſmodi inſeruiret, ad illud igitur euitandum abſurdum, ne ſcilicet cogamur concedere ſine cauſſa, & quodammodo irrationabiliter fuiſſe compoſitum tale confectum, in intelligentijs prædi-

ctis, & corpus, & materiam denegabimus; ergò dabuntur ſubſtantiæ immateriales incorporeæ; Porrò interdum propter prædiſpoſitas apparitiones aereum ab his corpus aſſumi, nullum faceſſit negocium, quia fictitium omnino eſſe quodcunq; Corpus huiuſmodi, & nulli alij vſui præterquam apparitionibus nobis vtilibus aptum reperitur, Dicimus verò conſequenter, Haſce ſubſtantias eſſe incorruptibiles, quia corruptibilitas ſupponit corpus, & materiã plurium formarum capacem, ſed in ipſis, vt diximus, ea non eſt; Ergo neq; corruptibilitas in ipſis vlla inuenitur.

2 Videtur, quod ſubſtantiæ immateriales incorporeę iſtæ non ſint in vna, eademq; ſpecie reponendę, nam ſcripturæ frequen-

quentiſſimæ diſtinctos inter illas gradus norunt, & principum locum alias habere conſtituunt, alias autem miniſtrantum, vnde nouem etiam Chori creduntur eſſe, vt non poſſit niſi magna diuerſitas, & verò ſpecifica iudicari, vbi tot graduum reperitur diſtinctio, ac tanta inæqualitas, vt alij Deo Creatori aſſiſtant, alij verò perpetui quaſi famuli ſint aſſiſtentum, præterea videtur coarctare Dei potentiam, qui ſpiritus illos non ſicut materialia ſub pluribus, ſed ſub vna tantum ſpecie, ac ratione concludit; Sed contra eſt, quia per ſcripturas habetur, quod euacuabuntur Principatus, Poteſtates, & Virtutes omnes, vt patet Pauli cap. 15. Epiſtolæ ad Cor. 1. Cum tradiderit, inquit, Apoſtolus, regnum

Deo, & patri, cum euacuaue-
rit omnem Principatum, Po-
teſtatem, & Virtutem; Ergo
non ſunt inter ſe ſpiritus illi
diſtincti ſpecie, Nam id, per
quod ſpecificè differunt aliqua
inter ſe, non poteſt per vim
vllam tolli, ita vt res integra,
& in ſuo eſſe naturali perma-
neat, erit ergo ſolùm acciden-
tale aliquid illud, per quod
eæ differunt, cum ipſæ ita re-
maneant reiectis, & amotis
rationibus graduum, & ſu-
peraddita ſolùm per ordinem
ad militantis Eccleſiæ guber-
nationèm, nihil autem intrin-
ſecum, & naturale deperdant,
& verò in hominibus idem o-
mnino contingit, nam Eccle-
ſiaſtici Ordines, & Hierarchia
militantium in vnius, eiuſ-
demq; ſpeciei ſubiectis adim-
pletur, ita vt diuerſiſſimi cum
ſint

ſint Chori, & Ordines infimi, & ſupremi ſtatus, ſine tamen ſupernaturali per homines con ſequuto, ſuam æqualitatem ſpecificam ſinguli retinebunt, Neq; ex hoc Dei potentia denigrabitur, quia, ſi non poſſunt plures fieri ſpecies, impedimentum ex creatura eſt, cuius ſubſtantia determinatum habet eſſe, neq; hac in re poteſt intelligi eſſentialis diſparitas diuerſificans ſpiritus ad modum numerorum, vt aliqui dicunt, eo quod numeri non intelligant, & gratis aſſeratur illud, cuius modus nequaquam exponitur, nam eſſent explicandæ tot intelligendi formæ, quot ſpecies aſſignantur Angelorum; Illud addiderim, haſce ſubſtantias non eſſe numero paucas, ſed pænè infinitas iudicandas, ne-

que enim decuit Creatorem Deum in vacua quaſi aula dominari, neq; principem tantum ferè inopem eſſe ſociorum præterquam quod fuit opus earum miniſterio ad electorum ſalutem, & adminiſtrationem orbis vniuerſi, & potius indecens diuitijs inenarrabilibus bonitatis eius fuiſſet in cõmunicatione gradus creati perfectiſſimi coarctare manus ſuas, & quodammodo inuidum eſſe ſibi in ſua Gloria declaranda.

3 Videtur, quod ſubſtantię immateriales incorporeę iſtæ non poſſint vllo modo dici eſſe in loco, patet, quia non habent Corpus, ac propterea nec poſſunt moueri localiter, neque dimenſiones vllas habent, per quas ambienti corpori coæquentur, quis autem? aut quo-

mo-

modo dicat eſſe in loco ea, quæ his carent? & quæ nulla omnino ſuperficie corporis continentur? nam vt concedamus, eas non eſſe nullibi, neq; etiam erunt in vbi circunſcriptiuo, quia incorporeum immateriale, & quod menſuræ nulli ſubijcitur, nulla res, aut ratio circunſcriptiua complectitur; Sed contra eſt, quia licet verè nullum Corpus iſtas intelligentias ambiat, quia propter ſpiritualitatem non poſſunt Corpore menſurari, tamen vbi quodam habent definitiuum, nam poteſt verè, ac ſine vllo errore dici, Hæc Intelligentia hic eſt hoc inſtanti, non alibi, neq; poteſt verè, ac ſine errore dici, dum hic eſt, alibi per ſuam ſcilicet ſubſtantiam permanere; Ex quibus colligitur, non poſſe ſimul eſſe in locis plu

ribus definitiuis, quia ſequeretur, eſſe poſſe vbiq; ſimul, neque enim eſſet maior ratio vnius definitiui loci duplicati, quàm alterius, & ſic in infinitum, Colligitur præterea non poſſe ab hoc vbi definitiuo ad aliud maximè diſtans procedere, niſi prius definitiuum vbi medium tranſeat propter eandem rationem, quia licet loco non coæquetur Corporeo, tamen habet vbi definitiuum ſibi in mutatione qualibet correſpondens, vt neceſſe ſit ab vno extremo ad aliud, quamuis velociſſimè per medium tamen antea, & in inſtanti priore aliquo pertranſire; Poteſt quidem Intelligentia huiuſmodi pro ſphæra ſuæ actiuitatis per ſuam virtutem eſſe in locis pluribus, & extremum etiam attingere medio immutato per

ſi-

Digitized by Google

ſiſtente, quia alias corruptibilia, & inſenſibilia incorruptibiles, & maximè perfectas ſubſtantias in aliquo ſuperarent, & quia aliàs contra ſacras literas nihil virtutis haberent ad extra, nam licet proxime rebus eſſent proximitate illa definitur, per contractum tamen non agerent, eo quod mole Corporis eſſent expertes.

4 Videtur, quod ſubſtantię immateriales incorporeæ iſtæ ſe ipſis intelligant, & ſe ipſis velint, non per potentias aliquas accidentales ex natura rei diſtinctus, patet, qnia non eſt aſſignare ſufficientem diſtinctionis huiuſce rationem, & perfectius, atq; diuinius eſt eo modo intelligere, ac velle, cum igitur eæ ſint multò nobiliores hominibus, denegari

non debet ipſis modus intelligendi, ac volendi perfectior, qui ſit maximè diuino ſimilis, alioqui nihil in ipſis erit, per quod præcedant homines excellentia, & quod faciat illas hominibus digniores; Sed contra eſt, quia hæc intelligendi, ac volendi forma ſoli Deo conuenit, nam ſolus Deus eſt ſuum intelligere, ac velle, & ſolus Deus eſt eſſentialiter Intellectus, & Voluntas completa, per ſe, non autem per aliquid aliud ſuperueniens, ac reſultans, alioqui compoſitiones ponerentur indebitæ ſimplicitati diuinæ derogantes, ſubſtantiæ verò creatæ iſtæ, quia huiuſmodi eſſe non habent, intelligent, & volent, non per ſe, ſed per potentiam intellectiuam, & volitiuam diſtinctam, alioqui tàm eſſendi ne-

ceſ-

ceſſitas, quâm intelligendi, ac volendi ſtatuetur, quod eſt abſurdiſſimum, cum implicet rationi creaturæ, quæ ſicut per aliud habet eſſe, ita etiam habet, vt intelligat, & velit per aliud, videlicet per potentias ſuas; Neq; dicendum eſt, ideo non differre in aliquo ab hominibus, quia ſatis eſt aſſignare, quod per ſimplicem intuitum omnia, & ſingula ſiue vniuerſalia, ſiue particularia, & ſiue corporea, ſiue incorporea nulla facta ratiocinatione percipiant, cum homines non niſi per deductiones, ac media inferant aliquid, & ad rerum occultarum cognitionem deueniant, qui modus, & forma ſubeſt erroribus magis, & maiorem imperfectionem includit, patet autem, quod eæ ſe ipſis neq; intelligant, neque

ve-

Digitized by Google

velint, quia conſeruatæ in eſſe ſunt ita ligabiles per diuinam potentiam, vt ijs omnino neq; intelligere, neq; velle ſit licitum.

5 Videtur, quod Intelligentiæ iſtæ per ſucceſſiuè ſuperadditas ſpecies, non autem per ſpecies intelligant concreatas, patet, quia, ſi per concreatas intelligerent, habuiſſent ab initio ſuæ creationis notitiam rerum omnium, neq; quicquam noui temporum effluxu perciperent, immò his conceſſis interpretes veri futurorum eſſent neceſſariò, cum non poſſent non videre illa, quorum quaſi effigies in ſe habent incluſas, ac propterea nihil amplius vnquam noui ab inſtanti creationis ſuæ, cognouiſſent, cum illæ ſpecies, atq; vt dixi, quaſi effigies ipſis infixæ proxima

ſint

ſint principia notionum; Prædictis etiam congruit, quod intimas cordium cogitationes eodem modo non tenent, ſed poſtea per gratiam, & infuſiones diuinas percipiunt, neque poſtea caperent, quia proximo principio intelligendi carerent contra perfectiſſimum naturalis eorundem eſſe conceptum; Sed contra eſt, quia in creatione prima Deus infudit intelligentijs iſtis gradus, & rationes ad vſq; ſpecialiſſimas entis, & rerum quarumcunq;, quibus medijs percipiant naturalia, ita vt facillimè, ac ſolo apprehenſionis intuitu omnes omnino ſpecies nouerint creatarum rerum, & quidem ſine vlla ſucceſſione durationis temporaneæ, atq; in ipſa prima earum exiſtentia; Quod attinet ad ſubſe-

quen

quentia, quæ ſecundum indiuiduationes, & Hæcceitates diuerſificantur à primis, iſta dicimus ab eiſdem abſq; vlla difficultate percipi, atq; ſine noua ſpecierum productione cognoſci per ſolam primò infuſarum ſpecierum modificationem, & coordinationem iuxtà cuiuſuis generis actuum exigentiam, ita vt eæ diuerſimodè diſpoſitæ, atq; connexæ vim habeant repreſentandi diuerſas res exiſtentes, vt in nobiſmetipſis experimur, qui per ſemel acquiſitas ſpecies licet ratiocinatiuè diuerſa, & varia indiuidua diuerſimodè, ac variè diſpoſita, & modificata cognoſcimus; Ex dictis patet, in intelligentijs iſtis poſſe interdum de ſui natura, licet nõ iam in Beatis, falſitatem ineſſe, eo quia infuſæ ſpe-

ſpecies alia, & alia poſſunt ratione connecti.

6 Videtur, quod Intelligentiæ proprij arbitrij careant libertate, quia naturaliter ita clarè vident ea, quæ ſunt agenda, & ita firmiter inhærent media veritatis cognitione bonitati, vt non poſſint non ſequi & eligere bonum illud, ad quod ſunt naturaliter propenſiſſimæ, ac propterea bonum, cui ad hęrebunt, erit neceſſariò, & non liberè volitum ſicut neceſſariò, & nõ liberè cernunt finem vltimum ſummum bonum, & ſine ratiocinatione vlla cernunt ea media, quæ ducunt rectà ad vltimum finem dictum, poſito quod voluntas moueri non poteſt niſi ad bonum ſiue vltimatum, ſiue non vltimatum, quod tamen ſit cognitum, & apprehenſum vt tale; Sed contra eſt, quia

quia quamuis Intelligẽtię non minus, immo etiam magis, quàm homines naturaliter vltimum finem iſtum ſummum bonum diligant, & ſequantur, ſicut maiorem habent cognitionem illius, & quamuis etiam facilius, ac totius naturaliter amplectantur ea media, quæ ducunt ad ipſum, non tamen ita eligunt ea media, vt non poſſint de ſui natura ſequi, ac tenere contrarium, niſi forte ſupernaturali adiutę, atq; confirmatæ gratia ſubleuentur, immo omni gratia ſupernaturali deſtitutæ, quemadmodum contingit hominibus quantumuis perſpicaces nunquam delegiſſent ſupernaturalia media, qui ad ſupernaturalis Beatitudinis finem perducunt, vnde reprobæ mentes efficacia ſolùm eiuſdem

gra-

Digitized by Google

gratiæ derelictæ à ſummo bono deficientes in æternas deiectæ ſunt ſordes, æternumque ſupplicium, quod nequaquam accidiſſet, niſi per liberum arbitrium alia, & alia media deligere potuiſſent; Verum quidem eſt, quod confirmatæ iam in amore Dei per gratiam ex ijs Mentibus plurimæ non amplius poſſunt à medijs iſtis, ſeu à recta bonitatis via deflectere propter plenitudinem diuinæ perfectiouis infuſam.

7 Videtur, quod Intelligentiæ prædictæ primo ſuæ creationis inſtanti Creatori Deo fuerint per gratiam non modo naturalem, ſed etiam ſupernaturalem acceptæ, quippe tunc produxit creaturas illas plenè ſibi ſubordinatas, & omni virtutum genere ornatiſſimas, nam & in intellectu infuſa illis

eſt

do gratiam ſupernaturaliter gratum facientem, neq; enim quoad hoc in primo inſtanti fingi debet perfectionum diuerſitas, proinde ponerentur etiam prauæ illæ Mentes accepta fuiſſe Deo Creatori per charitatem in Chriſto, quod eſt abſurdiſſimum, nam ideo reprobatæ ſunt, quia neq; Chriſto vt principi cuiuſuis intellectualis creaturæ deſtinato, vt habetur Pauli ad Eph. primo, neq; eius legibus ſubijci voluerunt, ponerentur etiam gratæ fuiſſe Deo Creatori ſupernaturaliter abſq; vlla earundem cooperatione ſiue actuali, ſiue habituali, quod in ratione ſupernaturalis huiuſce gratiæ nouum eſt, nec debet illius meriti ratio, quæ in homine ponitur auferri ab ijs, quas maximè fuit conueniens

Digitized by Google

ex virtute egiſſe, ne & electæ videantur indignè fuiſſe tanto munere ſatiatæ, & reprobæ prius receptam, & gratas facientem gratiam quaſi pedibus conculcaſſe, atq; à ſe penitus abieciſſe. Dicimus ergo eas in iuſtitia ſibi connaturali creatas Chriſto vt principe taliter propoſito, ac taliter deſtinato vel acceptaſſe ſupernaturalem Creatoris Dei gratiam, vel etiam, vt in peruerſis accidit, non minus impiè, quàm infeliciter abieciſſe.

8 Videtur, quod Beatæ Intelligentiæ poſt primum actum meritorium, & acceptationem gratiæ ſupernaturalis non ſtatim fuerint ſupernaturalē Beatitudinem conſequutæ, ſed tantùm in ipſa ſupernaturali gratia confirmatæ, & poſt incarnati Verbi reſurrectionem glo-

gloria etiam auctæ, patet, quia Chriſtus Dominus eſt medium ſupernaturalis, vt in hominibus accidit, huiuſce Beatitudinis obtinendæ, cum per ipſum omnia etiam alia ſint, & ſine ipſo nihil, vt habetur Capit. 1. Ioannis, ſed Chriſtus Dominus non fuit in rerum natura, niſi poſt magnum temporis ſpatium, Ergo neq; Intelligentiæ prius, quam Chriſtus Dominus fuerit, vel ſtatim poſt primum actum meritorium potuerunt ſupernaturalem Beatitudinem obtinere, ſed tantùm in gratia confirmari, aliàs potuiſſet quis finem attingere, cui fini opus eſſet medio aliquo, abſq; ipſius medij interuentu, quod eſt abſurdiſſimum, & maximam inuoluit implicantiam; immò quod magis etiam indecorum

videtur, multò prius fuiſſent glorificata aliqua membra, quam caput, & multò prius quàm Dominus Miniſtri attigiſſent gloriam, & famuli diuitias domus eius poſſediſſent. Sed contra eſt, quia ſatis eſt ad gloriam Mentium Beatarum ponendam, quod eundem futurum media ſuæ voluntatis acceptatione coluerint, & quaſi ſuum principem ſalutauerint, ac ſe paratos ad obſequendum præſtiterint, aliàs neque ſupernaturali potuiſſent gratia decorari, neq: illa diuinarum dinitiarum poſſeſſio præiudicat Chriſto Domino, tùm quia non minorantur diuitæ, tùm quia ipſi venturo referebantur acceptæ, neq; verum omnino eſt, non fuiſſe aliquo modo prius duratione Chriſtum Dominum, cum eius perſona fue-

rit coæqualis patri, cumque ipſe reſponderit Phariſæis de illius ætate differentibus cap. Io. 8: Antequam Abraham fieret, Ego ſum, & alibi; Vidi Satanam vt fulgur de Cœlo cadentem, Neq; obſtant patres in lymbo conſtituti ad vſque glorificationem Chriſti Domini, nam ex horum parte contracta aliquo modo fuerat per peccatum obligatio, & impedimentum interpoſitum, quod à Chriſto Domino per ſua merita tolli debuit, atq; actualiter amoueri, quæ obligatio, & impedimentum in Beatis Mentibus nequaquam admittetur, eo quod ſemper fuerint à criminibus alienæ, ergo ſtatim gratia in Chriſti venturi fide recepta, fuiſſe glorificati dicentur, eo quod nihil aliud ad glorificationem potuerit obſtitiſſe.

 Vi-

ſtantia iſtud ed , ita neq; tantùm ſcelus ab ijs videtur fuiſſe perpetratum ; Quid ? quod intelligendo eſſe ſummã rectitudinem, ac ſummã bonitatem Deum , non apparet potuiſſe, neq; per intellectum , neq; per voluntatẽ adhęrere cõtrarijs, cum naturale ſit vnicuiq; firmiter ſuam perfectionem appetere; Sed contra eſt, quia Io: 8. habetur , ille ſcilicet Satanas , fuit mendax ab initio, & iterum in veritate non ſtetit , & Epiſtola Iudæ Catholica legitur , Angeli , qui non ſeruauerunt principatum , ſed ſuum domicilium reliquerunt, Ergo neq; verò fuit impoſſibile, quod renuerint ſubijci Chriſto Domino ſuper omnia cõſtituto, vt habetur cap. ad Eph. 1. citato, neq; quod renuerint ſubijci alicui regulę, ac miniſte-
 rio

rio ſupernaturalium rerum illæ Mentes, quæ ſe tàm perfectas agnoſcerent, & quaſi ſuperfluum, & vanum ſupernaturalem ordinem iudicarent, neq; fuit impoſſibile, quod arbitratæ fuerint, licet Dei Creatoris lex in contrarium appareret, ſeruandam eſſe ſuam naturalem in omnibus libertatem; cum experiamur etiam nunc in ijſdem immortalia pęnitus odia, contra ſectatores myſteriorum ſupernaturalium exercere; Ergo potuit malum culpæ cadere in iſta, quamuis tàm perfecta natura; Ex dictis facilè colligitur, potuiſſe immutabiliter etiam in prauitate obſtinari, vel quia offenſo Deo viderent, ſeſe irreparabiliter cecidiſſe, vel quia etiam nunc falſo exiſtimant, ſuum illum ordinem exercendæ

Digitized by Google

dæ libertatis naturalis in actibus quomodolibet nulla habita ratione ſupernaturalis ordinis, ac regulæ futurum fuiſſe ſaniorem; Non omiſerim, ex literis ſacris, præſertim verò Apoc. 12. haberi, partem intelligentiarum tertiam à recto tramite defeciſſe, quæ ideo draconis cauda tracta dicitur, quia eius exemplo mota reperitur.

10 Videtur, quod ſub Cęlo non fuerit ſedes aliqua certa prauis intelligentijs conſtituta, patet, quia Pauli ad Eph. 6. habetur; Nobis eſt colluctatio aduerſus Principes, & Poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum; ergo potius ſi Cęlum empyreum excipias ſaniſſimè vagari vbiq; atq; omnia hæc inferiora occupare dicentur: ergo non

fuit illis certa ſedes aliqua conſtituta ſub cęlo, pręterea Apoc. 12. dicitur, deſcendit ad vos Diabolus habens iram magnam ſciens quia modicum tempus habet; Ergo ſuam in terris retinet libertatem, ergo non habet certum locum ad pęnas ſub Cęli ambitu conſtitutum; Sed contra eſt, quia B. Petrus cap. 2. Epiſtolæ ſuæ ſecundæ dicit, Deus peccantibus Angelis non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, & Apoc. 11. B. Ioannes, Beſtia, inquit, quæ aſcendit ex abyſſo, ergo fuit aliqua certa ſedes prauis intelligentijs conſtituta ſub Cęlo, centrum terræ ſcilicet cauernoſum, vt quam longiſſimè diſtarent à ſede Beatitudinis, qua ſe quam maximè fecerunt indignas, ad

obie-

Digitized by Google

obiecta ex literis ſacris reſpondeo, nondum quidē totaliter, ac perpetuò in terræ centro alligatas, ſed interdum, & ad tempus adhuc emitti plurimas per principem tenebrarum Deo & ad probationem eligendorum, & ad reproborum punitionem idipſum permittente, vt ſedes hæc noſtra medium quaſi locum ad excurſiones bonarum Mentium, & malarum tenere cognoſcatur, ſicut medium etiam tenet inter & terræ centrum, & Cęlum; futuras reprobas totaliter, ac perpetuò ſub terrę centro colligitur ex maledictione Chriſti Domini 25. Matthæi explicata, vbi legitur prauas iſtas intelligentias ignis ęterni ſupplicio cum reprobis hominibus addicēdas.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ſed aqueos vapores tenuiſſimos calore Solis rarefactos item rum cōdēſari, & proprias qualitates humorē videlicet, ac frigus, denſitatē, grauitatēq; recipere, Quin potius in terra preſertim, & aqua ſua refractio qualitatum admittitur? Eaq; poſita mixti formā ſequi, & educi cenſetur? Certè primum Gen. caput, itēq; ſecundū hoc annuit, nec fictitiā iſtā materiā primā agnoſcit; Adde primas qualitates, quę ſine dubio fluunt ex elementis, non eſſe primæ materiæ aſſignandas, vt ſuperflua ſit ea, quam excogitauit Ariſtoteles, quemadmodum ſuperflua eſt elementorum inter ſe tranſmutatio, & corruptio; Quid? quod corpora hæc ad impreſſiones indifferenter ſe habent? & ſucceſſiuè formam omnem

ſunt

Digitized by Google

ſunt apta recipere? vt vel ex hoc materiæ primitas declaretur: Iam Elementi notio nouam materiam reijcit obrepentem, vt minimè illa cenſenda reſolubilia ſint, neque fiant ex aliquo alio etiam incompleto, ſed ex ipſis omnia; Denique cur elementorum corruptio ponitur, ſi quantumuis immutatis accidentibus reducunt elementa ſeſe? ac naturæ neceſſitatibus per ſolam mixtorum generationem occurritur? Siſtat ergò in elementaribus entitatibus illa ſubſtandi ratio, ne ſine cauſſa ponantur elementa corrumpi, ac proinde ſimplicitati eorum ſubſtantiali derogetur.

Ad argumenta reſpondeo, per Ariſtotelica ſophiſmata non poſſe naturam rerum inuerti; Porrò Salomon loco citato nobis

Digitized by Google

bis fauet, alludit enim illis verbis primi Geneſis, Terra erat inanis, vacua, & tenebroſa, ex qua terra cum aqua mixta tot generabilium, & corruptibilium creaturarum varietas orta eſt, cæterum elementa ita corrumpi, vt vnum ex alio fiat, nulla penitus confirmatur experientia, nam æthera ſtellarum, & planetarum, quem elementari pro igne ſumimus, reperies fluere, ac loco cedere, Aerem præter iſta impreſſiones pati vel frigoris ad condenſationem, vel ad rarefactionem caloris, vel etiam ſoni, ac luminis ad alias naturæ neceſſitates quàmmaximè opportuni, iam terra, & aqua tantam in qualitatibus refractionem per ordinem ad varia mixtorum genera ſortiuntur, vt ſeu abſumptis, ſeu

valdè

Digitized by Google

valdè imminutis accidenti-bus; quæ ſubeſt ſubſtantia videatur deficere, ſed reductio probat oppoſitum.

Obijcies, ex dictis ſequitur, manere in mixto terram, & aquam, quod videtur abſurdum; Reſpondeo, nullum eſſe abſurdum, ſi manere dicatur entitas, & perire formalitas, vt in cera, literis ſyllabarum, ac numeris ſimilitudo declarat.

Inſtabis, quomodo ergo hallucinatus eſt Ariſt. Reſpondeo, quia nimirum putauit elementa corrumpi, ſicut mixta corrumpuntur, cuius contrarium ſingulari penitus eorundem elementorum reductione firmatur.

Addes, & extrinſeca reductionis aſſignabitur cauſſa, & naturæ munus eſt prouidere,

Digitized by Google

ne deſit, Sed contra, nam a-
qua calidiſſima per ſolum i--
gnis defectum, & euaporare
deſinit, & priſtinum ſtatum,
perfectionemq; recuperat.

Digitized by Google

DE COELI AETHEREI Fluiditate.

DISCEPTATIO.

2 AETHER eſſe fluidus non videtur, Ariſt. enim ſecundo de cę-lo quaſi de ſolido lo quitur, item Eliu 37. cap libri Iob ſolidiſſimos cęlos quaſi ęre fuſos affirmat, Poſtremò, ſi dicatur Aeter fluidus, quid afferetur, quo certam illam motuum, quam in tot ſtellis deprehendimus, varietatem de-

defendas?

His tamen haud quaquam obſtantibus contraria opinio magis probatur, primo quia eſt abſurdum, multa tantæ magnitudinis corpora perpetuò moueri circulariter, quaſi Deus, qui certum ordinem ſucceſſionibus etiam corruptibilium indidit, alia vti via faciliore nequiuerit, qua Planetæ circunferrentur, ac ſtellæ, maximè cum deſtinandus ibi fuerit Angelus, à quo ſumeret iſte motus initium, quod prorſus reijcitur, tùm quia eſt improportio ſubſtantiæ ſeparatæ inſenſibilis ad ſenſibile, ac propterea neceſſitate non cogente non admittitur Philoſophicè, tùm quia motus alij naturalium rerum omnes, ijdemque perfectiores originem habent mutationis in ſe.

Se-

Secundò patet à ſimili, nam aer etiam Cælum dicitur, nec tamen ſolidum reperitur eo modo, quo de Cęlis ratiocinatur Ariſtoteles, tertiò quia nō poſſunt apparētia multa ſaluari, niſi per inſulſam, ac pęnè puerilem multiplicationem cęlorum, Quid? quod modus ille fingendi motus principium, proximè ad Artificialem accedit, cum prorſus extrinſecè, vt in rota ſumatur? Præterea Sap. 13. itemq; 7. gyrus, diſpoſitioq; ſtellarum ſtatuitur præcisè, & Iob 38 ipſe Deus nunquid, inquit, coniungere valebis micantes ſtellas Pleiadas? aut gyrum Arcturi poteris diſſipare? & infra, concentum Cęli dormire quis faciet? quibus loquendi modis propoſita fluiditas ſtabilitur; His addi poteſt authoritas

Chri-

Digitized by Google

Chriſti Domini, qui Matthæi 24. dicit caſuras ſtellas, quod non fieret, ſi eſſent vt in tabula nodi, ac proinde Cęlum ea ratione ſolidum.

Ad Ariſtotelem reſpōdeo eum, dum de fluido egit, ac ſi ſolidum eſſet, loquutum eſſe non ſolidè, ſed quàmmaximè fluidè, atq; ita vt videatur fuiſſe de genere lępiorum.

Ad authoritatem Eliu dico; noluiſſe illum ponere diuerſam ab aerea ſoliditatem, quam ita nuncupauit, quia totum de loco ſuo non mouetur, & quia intrinſecè nullo modo corrumpitur, confirmatur, quia de vtriuſq; Cęli ſoliditate loquitur indiſtinctè.

Difficultas verò tertio loco propoſita ſoluitur, dum ſtella poli Septētrionalis principium primum vniuerſi huiuſce motus

tus aſſeritur, nam & dantur ſimiles in natura impreſſiones, & in ipſamet polari ſtella vis motiuā detecta eſt, cum ad eam feratur Magnes, vnde Borealis etiam regio ſentitur per ſe frigidior, eò quod in illa præcipuè condenſatiua ſit virtus, Porrò hanc veluti determinatricem motuum proximæ ſtellæ immediatè, tùm aſtrorum capita mediatè ſequuntur, vt non fruſtrà dictum videatur, cogit nitidum Boſphoros agmen, & alibi, Ducit plauſtra Bootes Poetis antiquiſſimæ naturalium rerum Philoſophiæ inſiſtentibus, ſanè id vel attractione fieri, vel impulſu poteſt.

Obijcies, obſtat fluiditati Cęli Planetarum irregularitas: Reſpondeo, Planetas circumuehi tardius, vel quia maiores glo-

bi ſunt, vt Sol, & Luna, neq; enim à primo Geneſis, aut à ſenſu hac in re diſcedo, cum luminoſum feriat quoad omnes, & ſingulas ſui partes, vel quia diuerſæ admodum naturæ cum ſint, quare nec per ſe lucent globi alij, quod ſcintillatio indicat, non eodem feruntur modo, vel demùm quia longius, altiuſq; ac proinde breuiore in gyro propter globi terreni ſinuoſitatem ſtellis motricibus exiſtentibus Planetæ non ità plenè trahuntur, vt ſtellas cæteras aſſequantur. Obijcies iterum, adhuc videtur poſſe dubitari de motu primæ; Quaſi verò non ſit in natura, quod primò ſe moueat, & quidem indefeſsè, vt in animalibus Cor, vt Argentum viuum, vt ignis noſtras, vt denique alia plurima; Sicut verò terrę

toti

DE CONTINVO
Motu, ac Tempore Phiſicis.
DISCEPTATIO.

3 NOtandum eſt; non eſſe idem punctum, quod minimum, punctum enim eſt negatio ſecundum omnes dimẽſiones indiuiſibilis per conceptum exiſtens, Minimum verò eſt ens materiale ſummæ

paruitatis, quod à parte rei datur, & quidem in vno ex his concipi poſſunt puncta finita in infinitum, ſicut & aliæ dimenſiones, eò quod etiam ipſæ negationes quædam conceptæ ſint; Dari verò à parte rei tale minimum patet, quia natura ſi velit producere, vel corrumpere aquam ſenſibilem V. G. eſt determinata ad aliquid totum ſimul neceſſariò producendum, & corrumpendum, Reſpondet autem, quod dicimus, rationi, cur enim corpuſculi, quod corrumpitur, & nos minimum vocitamus, non fiunt plures diuiſiones, vt ſemper aliquid remaneat corrumpendum, cum deſtruens applicetur per partes, & nos æquè ſupponamus in toto conſeruatrices diſpoſitiones in gradu ſummo? Quid? quod

quod ea diuiſibilitas in infinitum in ſola imaginátione ſubſiſtit de vera dimenſione tantummodo negationem demēs? Prӕterea natura eſt determinata ad mutationem, & durationem inſtantaneas Phiſicas, igitur & ad corpuſcula minima Phiſica; Patet verò id in Illuminatione, Viſione, Generationibus, & corruptionibus prӕcisè ſumptis, in creatione cuiuſuis rei permanentis, puta Solis, animӕ rationalis, eorumq; durationibus: Adde, non eſſe vllam implicantiam in terminis definitionis allatӕ.

Hoc poſito probatur ex eis conſtare continuum, tùm quia non impediunt dimenſiones, atq; diuiſiones Mathematicè, quӕ ſunt negationes, & imaginarij conceptus, tùm etiam

quia quantum diſcretum conficitur ex vnitatibus, quæ vt principia quanti diſcreti ſunt, impartibiles ſunt, vnde neq; de ratione quanti vt ſic eſt illa diuiſibilitas in infinitum; Tùm demum quia duo ex his minimis iuncta inuicem, cum Materialia, & Corporea ſint, non ſe penetrant naturaliter, Ergo erunt vnum extra aliud, ergo facient quantum continuum, & verò localiter extenſum; Concedimus igitur hoc loco. quod Mathematici contendunt, punctum ſcilicet additum puncto non facere extenſionem, quia puncta ſunt negationes, vt dictum eſt, cenſemus tamen aliam eſſe rationem de minimis, quæ ſunt entia, ſiue corpora materialia Phiſica.

Dices, quomodo ſe tangent

duo

duo minima ; Reſpondetur, ſe ipſis tangent ſe, ac ſecundum aliquid ſuperficiei, ſecundum quam partibilia ſunt, vnde duo minima extrema non ſe tangent mutuò, ſi aliud interiaceat.

His ita conſtitutis dico præterea motum ſucceſſiuum conſtare ex mutationibus, ponatur enim minimum ſuper primo minimo alicuius continui, quod continuum conſtet quinque minimis, tùm fluat verſus ſecundum, quando igitur coexiſtet vnitioni, quæ eſt primi, & ſecundi, quia factus eſt fluxus vnus, nec potuit fieri ſecundum eſſe minus, ſi fieri debuit, eò quod natura determinata ſit, vna mutatio aſſerenda eſt, alia verò mutatio dicetur fuiſſe, cum ſecundo minimo coexiſtet, quia factus

eſt, fluxus alius, & ſic deinceps.

Dices, ponatur aliud minimum eiuſdem rationis puta aquæ, vel aeris incipere ſimul fluxum, ſed fluat dimidio velocius, quando ergo dimidio velocius quinto minimo coexiſtet, cui coexiſtet dimidio tardius? Reſpondetur, tertio, illud enim octo, quatuor hoc fluxus paſſum erit.

Dices, videntur partibiles in infinitum iſti motus, quia datur alius alio velocior; Sed contra, nam quò tardius vnum mouetur, eò pauciores patitur mutationes, vnde ſenſus aduertit etiam tarditatem quæ ceſſationis alicuius eſt indicium, quamuis non aduertat ſingulas ceſſationes reſpectu velocioris propter paruitatem earundem; Manifeſtum

eſt

eſt autem à poſteriori, quod dicimus, nam tardius confecit ſpatij minus, ſecunda igitur mutatio dimidio tardioris reſpondebit quartæ dimidio velocioris, non quia diuiſa fuerit ſecundum eſſe propriæ mutationis, ſed quia in aliqua velocioris mutatione ceſſauit.

His ergo etiam acceptis dico tempus eſſe durationem, quæ conſtat inſtantibus, patet, quia ſingulæ ex mutationibus inſtantaneæ ſunt, & ſingulæ reſpondent generationi, & corruptioni præcisè ſumptis, ac ſimilibus, quia ſingulæ fiunt in ſumma paruitate durationis propter naturæ determinationem, vt ſuprà habitum eſt.

Dices, minimum velociſſimè motum ſuperauit octo corpu-

ſcula, ſeu atomos, ſeu minima, & indiuiſibilia phiſica, motum vero dimidio tardius, quatuor, vt patet conſideranti poſitionem, ſimul tamen cęperunt fluere, ſimul quieſcere, Duratio igitur illa ſemper erit magis, magiſq; partibilis, Reſpondetur ſimile, quod in motu, interceſſit videlicet plurimum inſtantium in dimidio tardiore ceſſatio, non quod inſtantia ceſſauerint, ſed motus in eis, ſic omnia ſoluuntur facillimè, quæ Nicomachi filius implicauit.

Sequitur ex eo, quod tempus conſtat inſtantibus, implicare creatum æternum, comitatur enim creaturas omnes in ſui productione primum eſſe neceſſariò, nam incipit in inſtanti, quod etiam omni principio mutationis commune

eſt;

Digitized by Google

eſt, ſicut commune eſt fini cuiuſuis per vltimum ſui eſſe deſinere, Aeternum autem principio, ſucceſſione, ac fine caret.

Sequitur præterea, optimè colligi naturam agentis primi, & omnino demonſtrari, vtpote quæ creaturas omnes, maxime verò vniuoca prima produxit in ſingulis ſpeciebus rerumq; generibus, hæc enim cum eſſe cœperint ab aliquo certè fluxerunt, quem veriſſimè Deum, propriiſſimè dicimus Creatorem.

FINIS.

Digitized by Google

IN LAVDEM

B. MICHAELIS

ORATIO.

B. Michaelis Angelorum Principis laudes contemplantes vehementi, atq; inuſitata quadam alacritate animi commouemur, & accendimur ad eas etiam pro viribus actione, ac verbis explicandas, vt quæ Mens ab omni materiæ concretione libera propter natu-

to, ac tàm ſingulari præconio celebrare contendimus, vel omittamus ea, quæ non debent omitti, vel ſi quid afferimus, quàmmaximè, longiſſimeq; rerum ſplendore ſuperetur; Etenim quod eſt ingenium tantum? quæ tanta dicendi vis? atq; copia? quæ vel naturæ præſtantiam? vel eorum, quæ geſſit dignitatem? ſingularemq; in nos benignitatem declaratam enarrare poſſit? Non dubito, quin ſicut nullæ vires rebellium Angelorum Potentiæ, ac Virtuti B. Michaelis obſtiterunt in acerrima illa in exordio rerum omnium dimicatione facta, ita nulla prorſus eſſe poſſit, qua vel ſatis explicetur, vel etiam comprehendatur, Eloquentia; Enimuerò niſi grati animi ſtudium incita-

rec,

ret, difficultatis horror omnino retraheret, & niſi benignitas inflammaret eximia, magnitudo rei conceptam eloquendi voluntatẽ, ardoremq; reſtingueret; Igitur Mens iſta, (vt à nomine ſumatur exordium) Michael appellatur, quam vocem Latinè, quis vt Deus? interpretari debemus, vt nimirum intelligas quantus in Beatiſſima Intelligentia erga Deum Opt. Max. amor exiſtat, cum præ cæteris vocata ſit eo nomine, quod magnum quendam diuini cultus appetitum ex propria ſignificatione demonſtret, cum enim in cõflictu illo poſt creatarum rerum memoriam maximo ita ſe contra inſurgentes antiqui hoſtis, ac ſociorum impetus gereret, vt pręcipua, & præclariſſima quadam

Digitized by Google

dam alacritate Mentis, honorem præpotentis Dei tueretur, factum eſt, vt Michael peculiari, ac propria voce facultatis internæ ſenſum eundem exprimente diuini Spiritus inſtinctu diceretur; Sic enim & præſtantia B. Mentis oſtenditur in ſe ipſa, & alijs omni perfectionum genere antecellere declaratur, Quod ideo fit, ne forte dum ſermo non exprimit, quid virtutis habeat ipſa res, ab aliquo turpiſſimè ignoretur; Tune igitur præclariſſima Intelligentia tantum experta es in te animi ad reprimendos conatus antiqui hoſtis, quantum alia nulla cęleſtium? Tibine tantùm virtutis inerat, vt prę cæteris diuinum honorem diligeres, atq; defenderes? Tuane perfectio tàm ſingularis

fuit

fuit, vt aliorum induſtria ? & facultas penè nulla eſſe videretur ? Equidem arbitror eodem modo, quo tu de præpotenti Deo tunc loquens dixiſti, quis ſicut Deus, ita nos tuæ bonitatis præſtantiam, cum alijs comparantes, poſſe de te ipſo, quis ſicut Michael Affirmare; fuerint igitur alij diuini honoris cupidiſſimi, fuerit in eis ardor iuſtitiæ ſeruandæ quàmmaximus, fuerit odium in auerſas à Deo Mentes perfectiſſimum, prætereà fuerit in mediatorem Dei, & hominum Chriſtum Ieſum, mente præcognitum, & à ſapientiſſimo Deo præordinatum eximia reuerentia, certè nunquam effici poterit, quin hæc omnia perfectiore modo fuerint in B. Micaaele, qui ſuum ab ipſis nomen ſingulari

Digitized by Google

ri Dei Opt. Max. voluntate deſumpſit; Prçcipuum igitur munus obtinuerit Michael inter electorum Angelorum Choros, collata ſint à Deo Michaeli dona præclariſſima omnium, Michaelem bonorum Ducem ita nobilitarit virtus, ſicut Satanam ducem reproborum ſuperbia, vitiumque fçdauit, neq; enim eſſe debet minus in bonis gloriæ, quàm ſit in malis ignominiæ, ſi non minus fuerit ab vno pro virtute, quàm contra virtutem ab alio dimicatum; O Mentem iſtam excellentiſſimam, O ſanctitatem illuſtriſſimam, & omnium omnino gentium voce prædicandam; Quid verò dicam de cognitione diuinæ naturæ, quam eiuſdem nominis præ ſe fert explicatio? Quid præterea de cogni-

gnitione non Angelorum modo, ſed cuiuſuis naturæ creatæ, quæ tante fuerunt, vt rectiſsimo inter omnes iudicio vſus ſit eo in periculo, quod plurimos eiuſdem ordinis non effugiſſe certum eſt: Multa hoc loco prætereo, quæ de modo intelligendi perfectiſsimo B. Michaelis excellentem eius naturam conſequente dici poſsent, is enim eiuſmodi eſt, vt non modo nulla ratione dependeat à miniſterio ſenſuum ſiue internorum, ſiue externorum, ſed etiam Altiſſimum quendam gradum ſortitus fuerit inter ipſas purè in intellectiuas creaturas; nam ſicut datur magis, & minus calidum in corporibus à natura procreatis, & alia quidem formam ipſam caloris habent, alia verò eminentem

quan-

quandam producendi caloris vim continent in ſe, ſicut etiam in alijs magis, & minus luminoſum corpus, vt patet de igne noſtrate, planetis, & ſtellis, ita ſeruata proportione quadam de incorporeis, ac ſpiritualibus iſtis Mentibus ratiocinandum eſt; quam ſententiam præterquam quod firmiſsimis, & ex natura rei erutis argumentis confirmare poſſemus, cætus omnium Theologorum tùm ex literis ſacris, tûm ex patribus certiſsimè, apertiſsimèq; declarat; Quas inter Altiſsimum tenere gradum B. Michaelem ex ijſdem vt infra attingetur, non obſcurè comprobatur, Sed verò ne noſtros excedere limites videamur, ne vel incognita, vel profunda magis conſectari, propoſitum curſum facilio-

liori via proſequentes præſentis orationis vela contrahemus; Illud velim ex dictis intelligi non eſſe videlicet mirum, tàm pronum illum fuiſſe ad amandum Deum Opt. Max. Cuius intellectus fuit rerum præclariſsimarum verò, ac perfecto lumine illuſtratus, cum ipſa veritas bonitati, ſicut veritati bonitas, in quotis plerumq; reſpondeat; Hoc vero de B. Michaele neceſſariò dicendum videtur, non ſolùm quia manifeſtiſsimè colligitur ex impoſito nomine diuinitus, ſed etiam quia in cęleſtibus ordinibus propter virtutis præſtantiam non infimum adeptus eſt dignitatis gradum; Quid enim? an non excellentiſsimum tenere locum putes eum, qui vnus in Agni victoria in Apocalipſi de-

deſcripta expreſsè tot inter millia memoratur? An de illo non omnia ſumma cogites, quem Arcanorum diuinorum perſcrutator æquè felix, ac diligens B. Ioannes nulli non anteponit, cui primas partes victoriæ nobiliſſimæ defert? quem in re maxima ſingulari gloria facit inſignem? Non deſidero teſtem alium in eo; in quo mihi tantus, ac talis Euangeliſta fauet, omnium libentiſſimè authoritates omitto in quo eiuſdem præclariſſimi viri eſt non incerta, ſed explorata, non obſcura, ſed clara ſententia. Ipſa res loquitur, Auditores, ipſa ſe maximè laudat, ipſa, ſi tacerent oratores ſinguli, oratoris munere, partibuſque fungetur, ſic enim

ille

ille refert, Michael, & alij cum dracone bellum gerebant atq; Angelis eius, quorum amplius in Cælo non eſt locus inuentus, & alia non minoris momenti, quæ manifeſta ſunt omnibus, & noſtram ſententiam approbant, atq; confirmant; Quid ſibi velit hoc loco ſingularis iſta B. Michaelis agnitio, quid cum dracone collatio, & oppoſitio, quid principatus inter omnes, quid victoria nobiliſſima vobis ipſis conſiderandum relinquo, certè is, in quo ſumma inueniuntur omnia, ſummus etiam & dici neceſſariò, & æſtimari debet; Venio ad beneuolentiam, quam in nos oſtendit, ſingularem, tùm quia ipſa natura rei vel parùm, vel difficilè percipitur à nobis, tùm quia illa, quæ ad nos perti-

nent,

nent, neſcio quid maioris in ſe, ſicut vtilitatis, ita iucunditatis inuoluunt, igitur cum iſta Mens diuinę naturæ tàm eſſet proxima, vt nulli ſecunda videretur, cum Deum ipſum Creatorem omnium tàm vnicè diligeret, vt alia omnia poſthaberet, noſtris tamen oculis interdum ſe videndum obtulit; Quid fieri potuit Illuſtrius? Auditores, quid clementius? quid ad hominum animos ſibi deuincien dos efficacius? enimuerò cum plures ſint Beatorum Spirituum Chori, cum certiſſimè pateat, vt ex modo recitata ſcriptura colligitur, non ex infimo eſſe Michaelem, cum præterea, vt ſæpius accidiſſe docet experientia, miniſterio poſſet vti ſibi ſubditorum, quis erit, qui non commo-

uea-

ueatur toto animo, tàm eximiam ſubmiſſionem? tàm pręclaram bonitatem? pietatemque conſideramus? Equidem arbitror, cætera multa, quæ in ipſo ſunt, ita eſſe magna, vt naturæ ipſius excellentiam, quam à Deo Creatore accepit, vel conſequantur neceſſariò, vel illi peculiari Creatoris eiuſdem beneficio donata ſint, tantam verò præ ſe ferre benignitatem, vt nos ad ſuam inuitet quodammodo, & ſollicitè alliciat amicitiam, vt ſe tantùm deijciat, quantùm deſiderare vix audeas, quaſi neglecta dignitate ſui ſtatus, hoc verò non modo liberum eſt, ſed ita liberum, vt cuiuslibet virtutis laudem ſuperare poſſit; Certè nullus ferè honor eſt, Cultuſue, quem à nobis benignitas tanta non exigat,

gat,

Digitized by Google

gat, vt quos non potentia, & viribus, ſicut intelligentias in peccatis obſtinatiſſimas ſubiecit ſibi, ſed potius maximè ſingularibus bonitatis argumentis deuinxit; Patrem credentium legimus, cum ei ſpecies offerretur quorundam Angelorum, ita commotum eſſe animo, vt illos omni officiorum genere proſequeretur, & coleret, non diſſimilia dici poſſent de alijs viris ſanctiſſimis, quibus aliquid non diſſimile accidiſſe certò ſcimus, & verò quorum participamus priuilegia, imitari debemus exempla, ne, quod abſit, beneficia eadem conceſſa pari ſtudio diuerſis, diſparem ſortita eſſe diſpoſitionem, fructumq; videantur; An ignoratis, Auditores, dum ita ſe Beatiſſima impertit Intelligentia, vniuerſa illius bona quodammodo noſtra fieri? Beatitudinem? Vigilantiam? Vires? Victorias omnes ex hoſte

antiquiſſimo reportatas ? ipſum deniq; Michaelem ſanctiſſimum, & ſocios in ſalutis humanæ miniſterium deſignatos, eidemq; ſubſeruientes eſſe noſtros? An ignoratis nobis inuigilare prudentiam, militare fortitudinem, fauere Iuſtitiam? Nobilitatem? Excellentiamq; naturæ? Deniq; cæteras omnes perfectiones in noſtram vtilitatem' iucunditatem, ac perfectionem cedere! O Deum immortalem, neſcio, an nos tàm prompti ſimus ad recipienda bona tùm animi, tùm corporis, quam ſemper ipſe eſt ad nobis auxiliandum, & ſubueniendum paratiſſimus, Neſcio, an à nobis, quàm ab illo magis noſtra ſanctitas quæratur, ac deſideretur; Noſtrum eſt, ita præ voluntati tàm inſignis Intelligentiæ in genus humanum reſpondere, vt non ingrati, aut immemores beneficiorum præclariſſimorum, ſed maximè

gra-

Digitized by Google

grati, ac memores, & videamur, & ſimus.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE SANCTISSIMA SYMPHOROSIANA FAMILIA.

CARMEN.

SYmphoroſę partos Inferno ex hoſte triumphos,
Æquatum ſuperis animum, & victricia canto
Non benè Iuſſa mori veſano corpora fluctu:
O noſtri decus, o fidiſſima gaudia mundi,
Inclyta ſepteno fetu, inuictoq: marito,
Humano generi quos nobile Tibur Alebat,
Aurea quos medios enſes, medioſq; per ignes

Digitized by Google

Euenit Cęlo virtus, iuſſitq; beatas
Inſpectare domos fruſtrata mente tiranni,
Quę noua, lux animum pulſa caligine rerum
Explicat? & celeri pandit Celęſtia tractu?
Noſtra qs excutiēs inflāmat pectora thyrſus?
Herentiue Animo Deus incidit? Alme piorū
Dux hominū, cui cūcta patēt, quē tertius orbi
Proceſſu Dio collaudat originis ordo,
Dirige quo curſu cęperunt vela fecundo,
Vltimaq; intenti teneatur litoris ora;
Sixtus erat populi paſtor de more Creatus,
Moribus Innocuus, matura etate verendus,
Chriſtiadū quē sūma penes, pariterq; ſacrorū
Forte recenſebat patrum monumenta tuorum
Et ſeriem prima geſtarum ab origine rerum
Tibur (ijs inerat nam tyburis vrbe Diebus,)
Forte tui ſecum voluebat tempora caſus,
Et varios mores, Romanorumq; ſubactum
Eſſe armis, rituſq; Sacros ex parte tueri,
Extemplo teria ſublimis in aera magnum
Tollitur, & ſummi cęli ſuper aſtra locatur,
Arbore ab excuſſa qualis conterrita cedens
Regina Alituum in nubes ſe condit opacas,
Immenſumq; ſecat pernicibus aera pennis
Sic noua ſe facies offert rerum vltimus orbis
longe, lateq; patent Celeſtia Regna,
Sic vbi clara dies nullis obſcura tenebris,
nullis variata notis, obductaq; nimbis
uicat, ęſtiuis nec peruia ſolibus vllis,
Fri-

Frigoribuſue poli glacialis, ibi aura ſerenum
Lenibus aſpirat mulcens afflatibus orbem,
Vitę dona ferens, vitę contermina noſtrę
Hic lęto volitant circumflua gaudia vultu
Temperie Oblectata loci, plenoq; per omnem
Ipſa plagam ſeſe diffundit, gratia cornu,
Qualis vere nouo, cum formoſiſſimus annus,
Exponit merces tellus inarata uirentes,
Et multis variata coloribus omnia mulcet,
Incipit aerei rabies miteſcere Cęli,
Et ſolem ſortita nouũ, & noua tēpora large
Vitali natura animantia munerę donat;
Ipſa triumphali fertur Victoria curru.
Hoſtiles cõgreſſa manus, & neſcia vinci (pus,
Cincta auro caput, atq; auri ſub tegmine Cor
Cui palmæ in manibus ſacre, plãteq; coruſcãe
Auro ſublimes in barbara pectora circum
Attollens oculos, domitis mitiſſima contra,
Alituum cernas lõgo ordine adeſſe cohortes
Diuinæ obtutu defixas Mentis in vno,
Certa ſerenato rerum diſcrimina vultu
Per medios imis ſimul Illuceſcere cernas,
Per ſummos medijs, hominum, terręq; labores
His iũcta ordinibus gradib⁹ diſtincta per orbē
Agmina ſuccedũt animorũ, atq; edita noſtris
Semina de terris magè ſuccreſcentia ſemper,
Quis caſus horum varios? quis funera fando
Explicet, aut poſſit tantos ęquare labores?
Proles chara Deo totum diffuſa per orbem

Innumeris Iactata malis, perpeſſa dolores
Innumeros, Sacrę pro Religionis Amore
Plurima, pq; domos (infandũ) & per fora paſ-
Plurima ſternũtur ferro Crudelis vbiq. (ſim
Luctus, vbiq; neces & plurima mortis imago,
Ite tamen Celeres ad gaudia veſtra piorum
Cętus, ac veſtrum exemplis inſiſtite patrum,
Si tua, qui ſtudio viuendi accenſus honeſto es,
Corporis integritas venerãdi, animiq; petetur
Inſidijs, aut vi, te perſiſtente, minaci,
His etiã adſcribere Choris pręclarior aſtris,
Si denigrarit tibi lingua maledica nomen
Aut odio pręconcepto, aut errore nocendi,
Nec patiere iræ licet ęquã in pectore flãmã,
His etiam adſcribere choris preclarior aſtris,
In ſummo regnas ſolio ſubnixus eburno,
Aurea ſceptra tenens ſpoliati inſignia Ditis
Chriſte pater, magni decus immortale parẽtis
Proxima Cęlituum latè ſtipante caterua
Alma parens ſimili, gaudens ornata triumpho
Te ſequitur, fruiturq; Deo, ardeſcitq; tuendo,
Quid memorem non diſſimili de cæde relatas
Virginei Baptiſta tuas? & Paule Coronas?
Quid biſſena cohors fratrum clariſſima cæli,
Lumina, veſtrarũ referã ſeu præmia laudum?
Seu fæcundatas in veſtro ſanguine terras,
Hæc dum Paſtori Sixto miranda videntur,
Dum ſtupet, intuituq; heret defixus eodem,
Ecce Animũ reſerat, qui torquet sydera nutu,

Qui

Digitized by Google

Qui regit imperio terras, menteſq; beato
Lumine depaſcit Sanctorum, & corda laceſſit
Diuinum, inſpirans flãmæ victricis Amorem,
Æterniq; Arcana patent, inſignia verbi,
Nulla ibi cauſſa latet, naturaq; nulla futuri
Tẽporis, effectuſq; omnes ibi noſcere poſſis,
Quale percuſſo radianti lumine formas
In ſpeculo referunt obiecti corporis vmbre,
Diſtinctę certiſq; notis, certaq; figura,
Hęc inter nexu felici inſtare videtur
Proxima prętereritis Sixto haud incognita diuis
Qui Ieſu effuſo ſacrarunt ſanguine nomen,
Symphoroſę ſimul, & natorũ occurrit imago,
Et pręcurrentis longo certamine clarum
Cõiugis exemplũ, ac ferri in maiora parati,
Hinc vnà cędi virgis, duroq; flagello
Terga videre licet iuuenũ, & nudata ſub ictus
Liuere immites membra, & rubefacta tumere,
Ipſe Anienis Aquæ ſonitus, ipſa antra dederũt
Et latè incuſſo reboarunt verbere ſilue,
Quin ſacro tellus largo velut imbre cruore
Spargitur, & longè mananti fluminis inſtar,
O, mea ſi valeat manus abſterſiſſe madentes,
O, ego ſi vires poſſim inſtaurare iacentum,
Ah melius, liceat ſi præuertiſſe labores,
Interea (quoniã ſuperarũ immota manet ſpes
Rerum ollis) cęci penetralia ditis ab imo
Panduntur, cętuq; atra ceu nube coacto
Inferni proceres ruere in certamina poſcunt

Certatim, & ſtimulis furiarũ accẽſa libido eſt
Texitur aereum nigra ferrugine Cęlum,
Diſrupteq; cauo latè telluris hiatu
Confluxere tuam licini te præſide in arcem
Viribus vnius quicquid mortale timẽdum eſt
Acturum in furias, & commiſcere paratum
Spirituũ omne genus, mõſtrorũ exercitus oĩs;
Tu vero licini ferrum moliris, & ignem,
Et pęnas Omnes, omnes agitatus in artes
Ocyus (ah crudele nefas) mortẽque minaris,
Ecce getulle tuis cereale in Sacra vocato
Conſilijs, ſocijſq; cibo, potuq; refectis
In pęnas raperis, nam iuſſu pręſidis alta
Conſtructa pira flammæ daris eſca voraci,
Nec te flãma mouet, Chriſto Duce, & auſpice
Chriſto,
Illa, venenatum vt preſſit qui neſcius anguem
Dum refugit pauidus, ſic in diuerſa receſſit;
Sed neq; carnificis furor, iraq; cęca reſedit,
Nec victæ ceſſere manus, tibi nigra paratur
Inde dies, vita vnde decet ſublata referri,
Vos ſocij prohibete minas, ecce ardura ſacro
Deſcendit capiti claua, in parteſq; reſoluit,
Ergo ſublimes volat exhalatus in auràs
Spiritus, immenſiq; ſubit penetralia cęli,
Intereà exanimes artus ſanctumq; cadauer
Thuricremo de more ſacret reuerentia cultu,
Iam Tiburtinam latè vulgata per vrbem
Fama volat, qua non aliud velocius vllum,

Sym-

Digitized by Google

Symphoroſa, & natos Chriſto in ſua vota vo
Nec nō Cæſarei contēpto faſce tyranni (cato
Acciri, tantumq; auſus vel morte piandum,
O fortunati quorum iam Gloria ſurgit,
Et quibus hęc animo ſedet ęternumq; ſedebit
Cauſſa necis, nullis vnquā varianda periclis,
Sēper, honos veſter, laus sēper veſtra manebūt
Vndiq; viſcendi ſtudio inflammata iuuentus
Tiburtina ruit, quales per florea rura
Diſcurrunt ęſtate noua, cum ſole ſub ipſo
Exercentur apes, aut cum liquamine dulci
Diſtentas implent, facto velut agmine, cellas,
Iāq; oēs canibus quaſi prędа rapacibus adſunt
Hectorei iuuenes, prætoria pectora matris
Firmati monitis, iuuat illuſiſſe tyrannum,
Irritaſſe iuuat dictis, & vana paternę
Virtutis memores contemnere numina diuū,
Irriguus feruet iuuenili in pectore ſanguis,
Diuinumq; imis enutrit in oſſibus ignem,
At genetrix, vt certa mori, non inſcia caſus
Sollicitas voluit ſuſpenſo pectore curas,
Spēq; metūq; inter, dubia in certamina rurſus
Septenam exacuit prolem, Cæliq; recenſet
Gaudia, vos, inquit, natos, mea vita, meū cor,
Tātarū haud pigeat mecū ire per ardua rerū
Sæpe vel inuiti morimur, ſic regna parantur
Æterno breuibus manſura laboribus æuo
Aurea tùm caſtos tollens ad sydera vultus,
Vultus fœmineas arctant nam vincula palmas

Digitized by Google

Chriſti teſtor, ait, nulli violabile nomen
Nō mihi ſiue minas, ſeu Cæſaris arma timeri
Non mihi tartarei Ducis inuiolata manere
Iura, nec eſſe animū ſacra immiſcere propha-
Influe pectoribus Cæli ſpirabile lumen (nis
Diuinoq; omnes in caſus robore firma,
Deuoueo tibi me, tibi dura per omnia natos
Hic lachrymis maduere genæ, & vox fauci-
bus hæſit.
Carnifices contra fremituq; ac voce ſequūtur
Horriſona, crudæq; parant ſpectacula mortis,
Et iam te crines trunco pendere ſolutam
Symphorosā, ſaxumq; pedes immane reuinctā
Herculis ad phanum cerno, diſcerpitur ipſa
E ceruice cutis ſumma, effunditq; cruorem,
Inſtat ſæua cohors mentis depellere regno
Herculeis ſuaſura focis incendere thura,
Nec procul aſpectant chariſſima pignora nati
Maternos animo ſecum miſerata labores,
Aſt illa impauidam corde imperterrita frontē
Oſtentat, vanoſq; irridet ſaucia cultus,
Exarſere truces inimico in pectore flammæ,
Et circumfremuit turba implacabilis ira
In diuerſa rapi nata, & diuerſa tueri
Conſilia, exceſſus præſtolatura ſupremos,
Eſt in ſeceſſu reſupini tyburis antrum, (da
Ruptū, immane, cauū, quod fluminis alluit vn
Præcipiti delapſa ſinu, quæ rupe ſub ipſa
Conditur, & longum ſub cæco ſerpit hiatu,
Ergo

Ergo vbi depoſita eſt, p̄ceps in fluminis vndas
Mittitur, illa tamē verba hęc extrema ꝓfatur
Hoc vnum in votis habui, præmittere natos,
At vos inoclumes artus ſeruaſtis ab vndis
Aligeri, ſupero ceſſit mens inclyta Cęlo,
Nec mora ſuccedit proles ſeptena furori
Ac veluti catulis cum incauta leęna relictis
Abſceſſit, raptum in syluis meditatur ab hoſte
Securus mentis venator, ſic fera ſæuit
Carnificū manus in pueros, & mēbra laceſſit,
Ecce mihi ſenos præcedens ordine fratres
Inuictus latè rutilat creſcentius æuo
Maximus, haſtili collum traiectus acuto,
Collum, quod circà gemmaſcit sāguineus ros,
I, pete Sydereos mens inuictiſſima portus;
Proximus à primo pariter ꝗ proximus annis
Fraterni curſus veſtigia proxima ſeruat
Iulius in ventrem capulo tenus enſe recepto
Te quoque non longè victtricia bella ſeguētē
Iam nemeſi aſpicio, iaculis iā mēbra vidēmus
Indefeſſa peti, ac terebrari pectora ferro,
Pectora diuinum ſpirantia ſemper amorem.
I, pete sydereos mens inuictiſſima portus,
Primus adeſt primos cōplexus mēte labores
Et primas acies debellaturus auerni,
Prima etiam in cætus Iactauit verba Deorum
Læua tamē primo ſors ſpicula prima negauit
Mox à frōte petūt mediū, inteſtinaq; rūpunt,
I, pete sydereos mens inuictiſſima portus,

Ecce

Ecce tuis humeris ferro iuſtine reuulſo
Purpureus dorſum iuſtiſſime velat amictus,
Aureaq; in teneras deſcendit fibula plantas,
I pete ſydereos mens inuictiſſima portus,
Stacteus excelſa pendens ex arbore, vulnus
In læuum tranſuerſa latus, perq; ilia ſenſit,
Exuuias ergo, mortaleſq; exuit artus,
I, pete ſydereos mens inuictiſſima portus,
Vltima in Eugeniũ Eugenij non vltima votis
Tela volãt, & membra ſecat Romana ſecuris,
Eugennij in binas ſcinduntur viſcera partes,
I, pete ſydereos mens immortalis honores,
Feliceſq; domus inuictæ claude triumphos,
Hic Sixto cælum ſenſu redeunte receſſit.

F I N I S.

Digitized by Google

PROPOSITIONES

PHILOSOPHICAE.

ENtia naturæ Phiſicus prò vt talia tractat,
Entia naturæ deno ſunt altera motu
Entia naturę quadruplex cauſſatio ponit,
Hæc eadem variant artes formale ſecundum,
Primi Philoſophi ſibi ſcindunt entia,ad imos
Vſque gradus entis,latèq; vagãtur in omnes,
Tota ſcientificam docebat dialectica formam
Voce ſecunda vtens,qua dirigat intellectum,
Abſtractũ abſtractũ quaten⁹ cõmune vocatur,
Vox autem res eſt quatenus cõcepta ſecũda;
Non eadẽ eſt Phiſici,quę noſtræ exrẽſio mẽtis
Euclidis propria eſt animi dimenſio trina
Linea de punctis,quia puncta negatio,non ſit,
Con-

Digitized by Google

Continuũ ex atomis,atomi qa corpora,cõſtat
Tranſitibus minimis Phiſici ſucceſſio motus,
Tarda interruptis,quę ſummè concita,contra,
Terminus æterno nullus,ſucceſſio nulla,
Implicat ęternum tempus,nã inſtantia tẽpus,
Primũ inſtans rerum quanta infinita refellit,
Primũ inſtãs rerũ primũ demóſtrat agentem,
Simplex corpus aqua eſt,terra,aer,ſydera cælũ
Æthereus noſtro breuior glob⁹,eſt ſuus aſtris
Splendor,ſed motum primo dat ſtella polaris
Tardior errantum ſub ſigna trahentia motus,
Et molem,ac numerũ ſtellarum diſcute sẽſu,
Sedes vbi fixorũ aſtrorum,ibi ſphericus orbis
Vt nubes terra diſtant,ſic nubibus ęther,
Venti diuerſis ſunt concitus aer ab aſtris,
Aſtra datur virtus per diſcurrentia nimbis,
Aſtrorum nexus rerum natura ſequuntur,
Non fit aqua ex terra,neq; contra,mixtio fiet
Aequiuocè faciunt Cæleſtia corpora mixtum,
Mixta aqueo igneſcit terra exalata vapori,
De terra planta eſt, de flumine piſcis auiſq;
Qui generat,facit hoc,nõ hoc,ſed talia quale,
Id quãtũ eſt,ꝙ habet partes loc⁹ eſſe putatur
Aſſumptũ ſpatium,qui connotat,ille refertur,
Actio ab hoc ratio eſt,ratio ſed paſſio in ipſo
Vniuocum Actiuum ſubiectũ immutat ideꝗ;
Efficit in ſpecie,media vi ſeminis, actu.
Cor eſt principium vitę,ſenſuſq; cerebrum,
Si partes addas,calido ſi membra reſoluas

af-